

De spina & ficu Indicis. CAP. V.

Ibi & spina similis, sed deprehensa uel lucernis, igni protinus transiliente. Nunc eas exponam quas mirata est Alexandriae magni uictoria, orbe eo patefacto. Ficus ibi exilia poma habet. Ipsa se semper serens, uastis diffunditur ramis: quorum imi adeo in terram curuantur, ut annuo spatio infigantur: nouamque sibi propaginem faciant circa parietem in orbem, quodam opere topiario. Intra septem eam astuant pastores, opacae pariter & munitam uallo arboris, decora specie subter intuenti, proculque fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelsum emicant, syluosa multitudine, uasto matris corpore, ut lxx. pass. pleraque orbe colligant, umbra uero bina stadia operiant. Foliorum latitudo peltae effigiem Amazonicae habet: ea causa fructum integens, crescere prohibet. Rarusque est, nec fabae magnitudinem excedens: sed per folia solibus coctus praedulci sapore, dignus miraculo arboris: gignitur circa Acesinem maxime annem.

De arbore pala, & arboribus Indicis sine nominibus, & laniferis. CAP. VI.

Maior alia poma et suauitate precellentior, quo sapientes Indorum uiuunt. Folium alas auium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duum. Fructum cortice emittit, admirabile succi dulcedine, ut uno quaternos satiet. Arbori nomen pala, poma arianae. Plurima est in Sydracis expeditionum Alexandriae termino. Est & alia similis huic, dulcior poma, sed interaneorum uoletudinis infesta. Edixerat Alexander ne quis agminis sui id pomum attingeret. Genera arborum Macedones narrauerunt, maiore ex parte sine nominibus. Est & terebintho similis caetera, poma amygdalis, minore tantum magnitudine, praecipua suauitatis. In Bactris utique; hanc aliqui terebinthum esse proprii generis potius quam similem ei putauerunt. Sed unde uestes lineas faciunt, folijs moro similis, calyce pomi cynorodo. Serunt eam in campis, nec est gratior illarum prospectus. Oliua Indiae sterilis, praeterquam oleastri fructu.

De piperis arboribus, de gariophyllo, & aliis pluribus. CAP. VII.

PAssim uero quae piper gignunt, iuniperis nostris similes, quamquam in fronte Caucasi solibus opposita gigni tantum eas aliqui tradidere. Semine a iunipero distant paruulis siliquis, quales in faseolis uidemus. Haec priusquam dehiscant decerptae, tostaeque sole, faciunt quod uocatur piper longum: paulatim uero dehiscentes maturitate ostendunt candidum piper: quod deinde tostum solibus, colore rugisque mutatur. Verum & uis sua iniuria est, atque caliditate carbunculantur, fiuntque semina casta & inania, quod uocant brechmasim, sic Indorum lingua significante abortum. Hoc ex omni genere asperrimum est, leuissimumque & pallidum. Gratius nigrum, leniusque utroque; candidum. Non est huius arboris radix, ut aliqui existimauerunt, quod uocant zimpiberi, alij uero singiberi, quamquam sapore

simile. Id enim in Arabia atque Troglodytica in uillis nascitur, parua herbae radice candida. Celeriter ea cariem sentit quamuis in tanta amaritudine. Pretium eius in libras sex. Piper longum facillime adulteratur Alexandrino sinapi. Emitur in libras x. xv. Albi x. vii. nigri x. iiii. Vsum eius adeo placuisse mirum est. In alijs quippe suauitas cepit, in alijs species inuitauit: huic nec pomi nec baccae commendatio est aliqua: sola placere amaritudine, & hanc in Indos peti. Quis ille primus experiri cibus uoluit? aut cui in appetenda auaritate esurire non fuit satis? Vtrumque; syluestre genibus suis est, et tamen pondere emitur ut aurum uel argentum. Piperis arborem iam et Italia habet, maiorem myrto, nec absimile. Amaritudo grano eadem quae piperi musteo creditur esse. Deest tosta illa maturitas, ideoque & rugarum colorisque similitudo. Adulteratur iuniperi baccis mire uim trahentibus. In pondere quidem multis modis. Est etiam in India piperis grani simile, quod uocatur gariophyllon, grandius frugaliusque. Tradunt in Indico luco id gigni. Adueritur odoris gratia. Fert & spina piperis similitudinem, praecipua amaritudine, folijs paruis densisque; cyperi modo, ramis trium cubitorum, cortice pallido, radice lata, lignosaque; buxii coloris. Haec in aqua cum semine excepta in aereo uase medicamentum fit, quod uocatur lycion. Ea spina & in Pelio monte nascitur, adulteraturque medicamentum. Item asphodeli radix aut fel bubulum, aut absinthium, uel thus, uel amurca. Lycion aptissimum medicinae, quod est spumosum. Indi in utribus camelorum, aut rhinocerotum id mittunt. Spinam ipsam in Graecia quidam pyxacanthum Chironium uocant.

De macir, & faccario, & arboribus Arianae gentis. CAP. VIII.

ET macir ex India aduehitur, cortex rubes radice magna, nocte arboris sua. Qualis sit eas incoepertum habeo. Corticis melle decocti usus in medicina ad dysentericos praecipuus habetur. Saccaron & Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in harundinibus collectum, gummium modo candidum, dentibus fragile, amplissimum nucis auellanae magnitudine, ad medicinae tantum usum. Contermina Indis gens Ariana appellatur, cuius spina lacrymarum pretiosa, myrrhae similis, accessu propter aculeos anxio. Ibi & frutex pestilens raphani, folio lauri, odore equos inuitante, qui pene equitatu orbauit Alexandrum primo introitu, quod & in Gedrosia accidit. Item laurino folio & ibi spina tradita est, cuius liquor aspersus oculis, caecitate infert omnibus animalibus. Necnon & herba praecipui odoris, referta minutis serpentibus, quarum ictu protinus moriendum esset. Onesicritus tradit in Hyrcaniae conuallibus ficis similes esse arbores, quae uocentur Occhi, ex quibus defluat mel horis matutinis duabus.

VDe bdellio & arboribus. Perfici maris. c. ix
Icina est Bactriana, in qua bdellium nominatissimum. Arbor nigra est, magnitudine oleae, folio roboris